


Sammelband


Ph

62

+











M.

12.

HENRICI TURRII,
Vicēcomitis de Tourenne,
AD REGEM
CHRISTIANISSIMUM,
de bello Turcico Oratio habi-
ta, Marsalii 31. August.
1663.

Handwritten text on the left edge of the page, possibly a page number or reference mark.

HENRICI TURRII

Nicomachi de Tournone

AD REGEM

CHRISTIANISSIMUM

de bello Turcico Oratio habita

in Mense Martii 3. Augusti

1603





I quidquam in vita mihi jucundum unquam
evenit, id omne cedit voluptati, quam flexâ jam in senium etate perci-
pio, quum te florentissimo exercitu, omnium Regni tui procerum, & quod
vivens nemo subiectum oculis habuit, octo amplius millium ex Gallicâ
nobilitate, te tuâq; castra gratuita operâ sequentium comitatu, & obsequio cinctum
Urbs hac non armato impetu, sed solo imperatricis tuba sonitu victorē sponte aperta re-
cepit, ac totius Lotharingiæ dominum volens, libensq; , atq; etiam ultro gestiens suo in
reliquas Provinciæ urbes exemplo agnoscit, veneratur, ac secundis in omnia, quæ Re-
gno et atiq; tuæ multo opimiori sub spe pollicentur fata, adjudicaturaq; sunt, votis, &
ominibus prosequitur. Enimvero quid ad summam humana felicitatis porro tibi de-
fit Rex Christianissime, quid optare, quid desiderio quamvis improbo concipere, ac con-
cupiscere potes amplius, quam quod jam possides, habes, tuâq; in manu situm est?
hoc unum (dicam audacter Regum clementissime) ut me, aliosq; bene consulentes au-
dias. Intra vigesimum quintum etatis tue annum nihil non quod voto effingi, vel à
fortuna exoptari queat, prono effectu consecuto tibi, hoc unum est, quod non fortuna,
sed mens recta, & à Deo illuminata adstruere possit, ut felicitate tua bene utaris. Atq;
ut hesterni diei experimento, cum in hanc urbem introisti, nobili sub spectaculo appa-
ruit, quantum tibi bellatorum suppetat, tantundem tibi optimorum consiliariorum
adesse vel confessus hic probat, in quo summa cum animi voluptate intueor adfidentem
Estræum collegam meum octuaginta annorum stipendiis emeritis sese tamen non mi-
nus impigre, quam juvenum quemquam, tibi ad res seu manu, seu consilio gerendas
offerentem. Macte virtute, & hoc tam insigni cruce, & necdum se oblita senectu-
tis specimine fortissime Heros, cuius nulla obliviscetur memoria temporum, digne, ut
quod vir æquè ac juvenis omnibus belli pacisq; artibus annisus facere es magnum, nunc
antequam vitâ concedas, inter omnia Christiana imperia Gallie Regnum spectes ma-
ximum. At cum te imitati nobis collegis tuis non ex decoro duntaxat, sed ex debito
nostro sit, allaborabo, ut in me utilia Regi Regnoq; non secus ac factis prestiti, nunc
etiam verbis suadenti, eadem nec dissimilia tibi lineamenta agnoscas.

Verum antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca de me præmittenda sunt: nam
quod consilii tibi O Regum invidissime dandi libertatem usurpo, scis illam à te mihi
datam, ut sepe numero miratus sit nonnemo, me quamvis diversorum à te sacro-
rum professione discrepem, tamen vel in arcanis deliberationum mecum communi-
candis, vel in rerum non levis momenti mandandis muneribus perraro fuisse præteri-
tum. Quam ego profitear Religionem, in propatulo, ac palam est, nec illa tamen me
tam religiosum, aut tam timidum facit, quin tibi libere, ingenuèq; suadeam etiam ea,
quæ ex ejusdem usu religionis minus esse videntur. Hæc nempe Gallicorum spirituum est

Sinceritas, quaecumq; sacra sequamur, una nobis ex omnibus res secundum divinum Numen sacrosancta est maximè, Regni populiq; salus, & tua & gloria, & utilitas. Nec à longinquis argumentis arcessenda probatio est. Inclita memoria virum
. Dominum de la Noüe, qui avo tuo post parricidiale Henrici Tertii cadem, quâ facillimè Regni Gallici successio tum inter Catholicos ac Nos, qui Reformati vocamur, intestino dissidio scisi successio capeffenda esset in arcano inter ipsos Reformatos consultante brevissimis verbis reliquorum sententiis varia censentium præscidit, nunquam eum Regem Gallia fore, nisi Catholicus fieret, asseverans: vel si lubet Me specta, nam ut tuis auspiciis in Germania nuper bellentem nemo Catholicorum illic in se acerbiozem, quam fas belli permetteret, me fuisse incusavit, ita tu recens adeo meministi, cum de armis Romano Pontifici inferendis deliberatio esset, me tot inter Pontificios pene solum extitisse, qui bello illo abstinendum ferret. Nec me ita censuisse penitet id saltem consecutum, ut pateat omnibus, me quæ in consilium asseram, non à privatis dictata affectibus proferre, sed publica utilitatis momentis exigere. Male proinde iis sit, qui me aliosq; idem mecum de religione sentientes intempestivis cum Catholicis odiis collidere gestiunt, nam magni illius Mornæi Plessæi, qui quoad vixit Reformatæ in Gallia Religionis quâ togâ, quâ sago columen fuit, affirmata Avo tuo opinio certi mihi instar dogmatis est, querenti: num Pontificios salvari crederet; haud dubiè respondentis, nam infinitam Dei benignitatem, eosq; ab eâ excludere temerarium esse, & utcumq; proluxi, & non necessari circuitus navigatione utantur, in eundem tamen portum, quò nos planâ navigatione pervenimus, tandem & eos recipi.

Quid igitur in tanto Catholicorum confessu unus, vel cum paucis diversa de Religione sentiens tibi suasurus sum? Hoc nimirum, ut in Turcam bellum pares, & quam acerrimè gerendum cures. Quâ de re orantem me quæso ita audias, ut nulla unquam de re ad solidam Gallici nominis gloriam ac decus in perpetuum stabilien- dum disceptantem quemquam audisti. Cum totus Christianus orbis civilibus turbis involutus, diraq; inter se lanienâ furens, apertum exteris hostibus, & cæca rabie in sua viscera sæviens, indefensum latus præberet, mirum fuit, Turcas statim ac quisq; eorum nascitur exitiabili in Christianos odio imbutos, educatosq; in tanta Imperii Turcici opulentia & magnitudine aut non intellexisse occasionem, aut non æstimasse, ac temperasse ab injuriis, quibus nullo unquam tempore opportuniore, ac magis pro- libitu eorum expositi fuimus. At nunc cum nullum pene Christianis inter se, quam socero tuo Hispaniarum Regi cum Lusitanis bellum sit, cætera pactis foederibus compo- sita nondum quidem obduæta cicatrice, sed plagis utcumq; percuratis in solidi iterum concordisq; corporis robur coaloscere incipiant, haud minus mirum videtur, quid sit, quod Turcæ Christianos, quos inter se bellantes vincere proclive fuerat, non tum ag- gressi sint, sed nunc pacatos aggrediantur. Haud me fugit, quæ Gallos nequiter calu- mniandi penes quosdam libido, quid criminis nobis imponere volupe sit, hoc nempe: nobis potissimum auctoribus Turcarum in Casarem arma esse commota. Quam ego criminationem non ulla orationis defensione, sed re ipsa confutandam censeo, & egregie refutabis, si ad id, ad quod te hortor, extemplo te accingas, nec in longiorem diem pro- feras,

feras, sed è vestigio repræsentes, & eo specimine in hanc belli Tircici arenam rei Christianæ opitulaturus descendas, ut nullum sinistris rumoribus, nullum suspicaci silentio locum relinquas.

Nec iverim tamen inficias posse aliquos esse è nostris, qui non quidem Turcas ad Cæsarem bello appetendum per te concitari debere, sed armis jam sponte ipsorum motis tantisper tibi cunctandum, & ope Cæsari ferenda supersedendum putent, dum ille redactus ad incitاس ultro supplices tibi manus tendat, agnoscatq; in te beneficii potentiam, fateaturq; se salvum nisi per te esse non posse. At ego sophisma hoc politicum impium esse judico, & invisum Deo, usq; adeo, ut credam, si res eò deventura sit, quò eam, ut deveniat, optant callidi isti periculorum alienorum insidiatores, & otiosi spectatores, ut nimirum Cæsari suis exuto nullum superfit, nisi ad Gallorum misericordiam per fugium, Deum tibi quoq; vires necessarias adempturum, quibus vel illum, vel sanè te ipsum à periculis callida dissimulatione in majus, quam qua unus sustentare valeas, auctis explices, sed eadem ruinâ, quam à proximo amoliri supersedisti, tu etiam ipse maturus videlicet pœna à divina vindicta legibus invento tam impio debita, involveris, & cum innoxiiis noxius pereas. Nam commentum hoc: fovere, aut favere turbis, ut in turbido pisceris, à stygio genio suppeditatum contrario prorsus effectu damnabit, evertetq; Deus, teq; etiam ad propria tuenda inopem nudumq; destituet, qui tuum ex alienis calamitatibus lucrum ac compendium quaesisti. Age ergo, O Rex Christianissime, procul hanc à te vafritiem abige, & quod à te beneficium Christianus orbis expetit, & quam opem res trepide Cæsaris desiderant, occupa præstare, in nullum temporis intervallum suspende: præterquam enim quod jucundius, & in animo accipientis perennius est illud beneficium, quod obviam venit, quod ex se, non rogatu alieno nascitur, & quod prævenit interpellantem, non gloriose duntaxat Christiana Reipublicæ discrimibus succurres, sed tutius quoq; exorti incendii flammam in alieno quam in tuo, in longe remotis, quam propioribus tibi finibus extingues. Jam cum istis veteratoribus, qui in benefaciendo non regem, sed mercatorem te, sed cauponè agere cuperent, facessant, & illi, qui ex hac tua Lotharingica expeditione nescio quid te porro in vicinos aggressurum aut gratuito fingunt, aut male suspicaces metunt, aut ultro te facere velint, ut tanto majus tibi imperioq; tuo odium concilietur, quanto invisus est, cum hostem non habeas, aut si habeas, prætereas, in amicos grassari: quasi vero in numero hostium Rex Christianissimus eos non habeat, qui Christum, qui Christi gregè tantà rabie oppugnant, ut ignominia sibi ducant esse quemquam in terris, qui Christum colat. Sunt enim vero haud dubii hi hostes tibi, nec minùs illi, qui ne veros hostes agnoscas, amicos pro hostibus objiciunt, teq; in eos infestum insensumq; ferri cupiunt, quorum cum confessis obsequiis uteris, stultum fuerit per injurias extorquere, quod jam ultro ab his habeas. Nam quid in Germania uspiam est, quod te non revereatur, in Italia quod non colat, in Belgio quod non suspiciat, in Britannis quod non observet, in Hispaniis quod non honoret? Quis vero hoc Regum ante te nullus consecutus est, ut Christianas omnes oras eo amore, reverentia, obsequio, ac cultu, qui tibi ab omnibus, quos nominavi, adde & à Suecis, Danis, ac Polonis competit, devinctas haberet? Hac vera Regnorum Imperiorumq; gloria, hac ingenuè Regia, & ad divinam prope accedentis

dentis majestatis effigies & exemplar est, non per vim ire possessum, quæ cupias, sed per venerationem, benevolentiam, & ejusmodi affectum, qui latè, libenterq; obsequentibus etiam animi sui vultum induat, habere addicta. Multo quippe certior est ab amicis, quos meritis, & impensis officiis, quam à subjectis, quos metu contineas, fides, & ille demum magnus est, cujus magnitudinem magnitudine suâ quamplurimi substruunt, ut tutela illæ suæ, presidiiq; umbram largius possit spargere. Quæ si tu rectè intelligis, Rex Maxime, si opes tuas inde æstimas, ut non tam quod velis, posse te, sed amicos, federatos, vicinosq; idem quod te ipsum, & subjectos tibi populos velle, & ut efficiatur, avere, cernas: ne tu jure tuo, non adventitio, & in aliis sitæ opinionis suffragio felix es, ac felix in perpetuum eris, quamdiu in hoc animi sese sibi sine fūco ostendentis habitu perseverabis. Sed non deses, non otiosa, non sibi soli propria ac beata, & domi tuæ custodita sit hæc felicitas: exeratur, usum sui præbeat, fructum spargat, sequum totius humani generis felicitate communicet.

Quam vasta vero, quam ingentia sese exemplorum spatia tibi pandunt, ut felicitatem hanc tuam alios reddendo felices, & quasi in opere habens, augeas, & extendas! Uti immensus Cæli ambitus à sole, ita infinitus terrarum mariumq; tractus à te ut illustretur, tuis radiis splendescat, tua ope foveatur, appetit. Sed infesto adsitum periculo, ac properi subsidii necessitati nihil æque illudatur, ac sub magno discrimine pavescit, atq; Ungaria solum, Turcicarum illa vetus, & exercita calamitatum arena, tum proxime huic adherescens Germania, quibus ex oris proh! dolor indies alios super alios miseriarum illuc ex improvviso longe latèq; sese effudentium nuntios accipimus? quibus nisi commoveamur, indigni sumus, qui Christiani vocemur. Huc ego te voco, his duabus provinciis sub extremi confinio exitii laborantibus ut cæteris rebus omnibus relictis subvenire matures hortor: non quidem ut ipse expeditioni intersis (quanquam & hoc non degeneris à majoribus tuis, à Ludovico præsertim Sancto esset exempli, qui semel in Ægyptum, iterum in Africam trajecto exercitu res magnas gloriosius suscepit, quam gessit) aut è laribus tuis, unde in omnia regimen, excedas; sed delecta copiarum, quæ jam sub signis tibi roborata (hoc etenim solum à te postuletur) periclitantibus submittas paratus ingravescenti discrimini totâ Regni mole obviam ire.

Atq; si mihi nunc opera esset, de toto belli, quo Turcica vires convellenda sint, genere differere, autore uterer eodem, quem supra nominavi, Domino de la Noüe, cujus hæc super re scripta extant typis vulgata plena militaris prudentiæ. Verum ego pro eo, qui nunc est, rerum statu quæ sentiam profabor. Germania omnis in decem descripta est partes, quos Circulos vocant, Austriacum Burgundicum, Rhenanum triplicem, duplicem Saxonicum, Franconicum inde, Bavaricum, & Suevicum. Ex his ego Circulis octo illos, quos posterius nominavi, segregem (nam priores duos Cæsari eximios peculiareq; relinquam) conscribiq; ab eis oportere, ac sub signis haberi putem 21. millia peditum, 4000. non minus equitum gravioris armaturæ, statq; stipendio ali, ac sub severissima disciplina (quam, si stipendia militi rite atq; ordine exsoluta procedant facillimum erit conservare) haberi, ad quod stipendium definito tempore representandum, sumtusq; alios bellicos Tres florenorum Germanicorum Millions necessarii.

cessarii. Nec arduum fuerit, ex collatione tot, qui sub his Circulis censentur, populorum id eris colligere, dummodo aqua in omnes partita sint onera, & pro facultatum modo quivis conferat, nec plus justo gravetur, qui minus potest. Nam si in tanta mortalium, qui his Circulorum finibus incolunt, multitudine quilibet unus non plus quam unicum quotannis florenum pendat: (quis autem ille mihi tam erit afflictus & miser, qui duodecim mensium spatium tantulum eris vel mendicando, vel esuriendo si aliter nequeat, non facile corradat?) tres isti Millionses sub manu nascentur. Hic vero facere nequeo, quin admoneam Circulorum horum Principes, Regulos, Dynastas, ac Magnates, ne totum tributum huius onus soli plebi imponant immunes ipsi, & quod luxu expendant, publica necessitati subtrahentes, sed precipuum in se recipiant, sumtusq; Aula, & domesticos alios supervacaneos contrahant, ac rescent, nec infelicitum subditorum sanguinem ac medullas exsugant ipsi lati, pingues, opulenti ac beati: id quod Deus in illos commeritis suppliciiis dire olim vindicaturus est.

His Germanicis agminibus si tu O Rex sex peditum, duo equitum, Sueci autem quatuor peditum millia, quingentos equites, Danus item duo millia peditum, quingentos equites, Ungari autem ac Transilvani tria peditum, quinque equitum millia, (quos suo tamen are conscriptos & alant) junxerint, formidabilem Turcis exercitum triginta sex millia nempe peditum, duodecim equitum, in aciem educere poterimus sat validam, quae cum centum Turcarum millibus aperto campo confligat. Stipendii autem annui, & quod praeterea sumtum fieri necesse, summa ad quinque Millionses excrescet, quorum Germania ut dixi Tres, Tu unum cum dimidio, Millionem alterum dimidium Suecus, Danusq; tum Hanseaticae societatis affines urbes pendant, & in commune conferant. Qua in re id tibi in primis auctor sum, ut ad promte conferendi alacritatem aliis facem praeluceas, inibi enim locorum, cum de pecunia promenda agitur oppido lenta, impenseq; continentes sunt manus nostrae, quas non facile nisi magno sub exemplo, ut officium suum faciant, excites, & laxes, atq; eo fine confestim Decies illud Ludoviceorum nummum centenorum millium, quae tua est portio, praesenti pecunia partim Francofurti, partim Lipsiae, & Vratislaviae per mercatores collybo transmissum in promptu esse, sed depositi fide tantisper custodiri cures, donec & reliqui, praesertim Germani periculo proximi adeoq; & necessitati, ut semetipsos adjuvare properent, propiores tanta pecuniae aspectu incitati ea, quae ab illis proficisci debent, explere satagant. Et quam facile hoc decies centies millies representatu tibi O Rex, si cum Fuquegio uno Ararii tui diribitore rationem ponas, & paululo duntaxat pecudem hanc auream attondeas? neq; enim dignius & religiose magis illam huius Aegypti & Cornificii nundinatricem beatarum noctium nostrarum forium obseditricem pecuniam, quae nisi intercepta fuisset, non unius Danaësinum per imbrem aureum defluisset expiare, & tuam illic expressam effigiem luci reddere potes, quam si pulveris Cyprii coemtionem debonestatam nitrato defrices, ablatamq; Veneri, Marti tradas, & castris non castratam, sed à castratis quorum ille gregem per sola vocis maricidii redempte commendationem acceptum, & pretiosum alere solebat, vindicatam dedices. Efferdescet extemplo, cum quod tuae portio est militum condito loco in expeditionem paratorum atq; tanto cum stipendio instructorum comparebit, & reliquorum pari in te

par;

par, eoque impensius studium, cum major eorum, quam tua res hic agatur, nec multi laboris erit, ut quilibet ex illis quos nominavi Germaniae Circulis bis mille sexcentos pedites, equites quingentos armis aereque militari ornatos breve intra tempus ad signa sistat. Nec Sueci, nec Danus & Urbes foederis Hanseatici, quod ad eos pertinet, submittere militum & pecunia, ad tuum aliorumque exemplum cessabunt, & licet ultimi terrarum, ultimi in opera sedulo pro patria navanda non erunt.

Huic ego exercitui, quam primum aut totus, aut digna ad res gerendas specie compositus atque ordinatus sub signis erit, iter per Saxoniam, agrumque Brandenburgicum, ac Silesiam, qua proximum, in superiorem Ungariam, & a latere aditam Transilvaniam, quod minus Austriacas, de quibus post mihi sermo erit, provincias proprio milite onustas praegravet, recta capeendum suaserim, sedemque bello Cassoviam deligendam, summam autem imperii Electori Brandenburgico committendam, de cuius virtutibus multa profari nunc opera non sit, nec dubitandum, quin ut haecenus, ita etiam in expeditione hac Turcica locum principem dignis principe factis egregie sit impleturus acceptus Caesari, acceptus tibi, ipsis etiam Pontificiis acceptus bellator. Ne de iis, qui de Religione mecum sentiunt, dicam, ut sunt majorem partem Ungari, de quibus mihi certo hoc polliceor, quum ad hoc usque temporis segnius Caesare evocante, forte ob hunc ipsum Religionis respectum, ad arma insurrexerint, quam primum hunc Ducem ad fines suos adventare inaudierint, plenis agminibus in castra ejus convoluturos. Alteras a Brandenburgico qui teneat, te penes sit, vel Principem Harcourtium, vel me, si dignum putes, eligere, neque ego, neque Harcourtius jussa detrectabit, ut qui, quo ego animo Bullionica, eodem Lotharingica domus funebria spectarit, uterque melioris spem fortune merito nobis nostro alibi, & ubicunque tu volueris locorum, pignoreturus. Non desunt Suecis, non Danis, quorum opera utantur, selecti belli duces, eadem Germanis, eadem Ungaris virorum fortium & expertorum facultas, nihil proinde ut desit, quam ut tu primus occipias ostendere, quid tibi sit animi: te auctorem, te auspiciem nemo erit quin sequatur.

Hunc quem oratione mea concinno, non minus autem si res serio studio agatur, a re ipsa concinnatu facilem exercitum superiori Ungariae praesidere velim, nec ullus dubito, non longi intra temporis spatium tam secundo rerum eventu bellatum iri, ut non tantum pars illa Ungariae, sed Transilvania, Moldavia, ac Valachia opulentissimae Regionis Turcicae tyrannidis exemptae pedicis nobis sint accessurae. In Ungaria vero Inferiori alium exercitum ex Austriaco, Burgundiacoque Circulis, Bohemiaque, ex Silesia coactum habeat Caesar (viginti nempe peditum, tria equitum millia) cui & conscribendo, & stipendio stato sustentando illa ipsa sat habiles & sufficientes sunt Provinciae. Quibus si Helvetii in communi fidei Christianae discrimine per tuam vel solam auctoritatem haud exoratu difficiles duo millia peditum suae nationis, Rex porro Hispaniarum quingenta millia peditum, mille equites Principes ac Respublica Italia Pontifice Venetisque exceptis, quorum opera alibi locorum, ut post indicabo, aequae utilis erit, tria peditum millia, equites mille, ordo tandem in Germaniam Teutonicam, liberaque Imperii nobilitas mille itidem equites, Croati ad extremum & illius ora Ungari quatuor peditum, totidem equitum millia addant, Caesarque ipse suo ductu praesens res administrandas

das suscipiat, aut non temere ulli alii, quam ex Austriacâ, aliâve inter primarias in Germaniâ familiâ nato Principi committat, eccui erit dubium, quin hæ quadraginta quatuor millium summam exæquantur copia totâ Turcas, quæ ad illud Danubii latus est Ungariâ sint exactura? Hic pro stipendio annuo, & reliquis militiae expensis quatuor cum dimidio Germanicorum florenorum Milliones habeantur necesse est, duo cum dimidio à Cesare ex Austriaci Burgundiaciq; Circulorum collationibus ac tributis suppeditandi, unus cum dimidio, quæ eadem tuæ O Rex portio summa est, à socero tuo Hispaniarum Rege, qui desit alter dimidius Millio, à reliquis, quos memoravi, expeditionis sociis exsolvendus.

Pontificem belli à te impendentis metu liberum (nam rem cum eo transactam dat possessus à te Avenio, & tua Parma Mutinaeq; ita impensa, acceptaq; beneficia, ut benefactorem malint amicum habere quam vicinum, multo minus ament larium suorum inquilinum) quid impedit, quo minus quam nunc coactam habet lectissimam militum manum brevi navigationis per Adriaticum trajetum copiis Venetis jungat, hæq; unâ sociata Dyrrachium, aut Aulonis in Epiro portum Turcis nil tale, ut nunc res sunt opinantibus, constareq; tibi propositum arma in Pontificem inferendi credentibus, tentent, ut si res successum habeat, ora illius habitatores pleriq; Christiani profligare Turcicam servitutem, & sinum Turcici imperii armis nostris patefacere queant. Valebit haud dubie tua & apud Batavos, & Anglos autoritas exhortantis, ut quidquid mari possunt (sunt autem navales iis immensi apparatus) infestâ navigatione inferant Africæ littoribus, & infames illic Pyratarum, sub quibus tot ex utraque natione capti miserissimi hominum immanem dictu servitutem serviunt, nidos & lustra exscindant, præsertim cum per perfida pacta toties ab eis sibi impune usque adhuc illisum, mariaq; omnia, atque ipsum adeo Oceanum ad oras usque Britannicas ac Batavicas prædatoriis horum barbarorum navigiis audacissimè pererrari cernant, ut nusquam non locorum Christiano cuiusvis plena periculis, & anxia metu sit navigatio. Nec Galli imo ipsi, internaq; maris nostri, & in Oceanum obversa Gallie littora ab eorum latrocinis libera sunt, unde decorum tibi erit & per te quidquid maritima potentia tibi suppetit, cum classe Batavicâ atque Anglicâ pariter in hostem emittere, & à socero quoque tuo, ut idem faciat impetrare, quippe cujus regiones longissimo terrarum littorumq; tractu latronum horum incurfibus multo latius sunt exposita. Lusitanis profecto, si idem socer tuus, ad pacem eis, aut annorum aliquot inducias concedendas Reipublice Christiane bono se permoveri patiatur, quid optatius contingat, quam metu Catholici Regis liberos posse se, quidquid habet virium, ad communem Christiani nominis causam tuendam conferre, & incensa à consanguineis populis odia in Turcas Mauros effundere, & per horum excidia insepultis Regis olim sui cineribus parentare? Nec mihi minor de Polonis spes est, qui utique in reliqui orbis Christiani contra Turcas conjurati consensu non quiescent, sed in eodem sacramento nec inter extremos esse volent; præsertim cum refractarius illi Regi suo miles, qui secessione sua res Polonicas hæctenus in ambiguo tenuit, per numerato stipendio pacatus jam in justos ferri hostes, jam legitima mereri vulnera impense ardeat. Quid si & Mosco ut Poloni concilientur communi totius Christiani nominis deprecatione, ac suppliciis à se impetrari sinent, quo

B

promissis

promptius ipsi Cosaccis Ponti Euxini accolis sociati in viscera Turcici imperii invadant, Moscus autem diversâ à parte, quâ fines ejus à Turcicis propius absunt, novâ belli mole in eos incumbat, ipsumq; adeo Persam professum ac perpetuum Ottomannorum hostem ad manum secum jungendam, & per invise gentis exitium satianda innata in Turcos Persis odia commoveat, & concitet?

Hujusmodi te cogitationibus O Rex succinge, in hujusmodi successuum tendenda discrimina te arma, ad talia te experimenta facienda ducem, atque auctorem presta, atque adeo temetipsum à re presenti interroga, quibus scilicet confederis arvis, quas terras premas, has nempe ex quibus Gottofredus Bullionæus, non ille earum, ut tu opum, sed fortuna permodicæ princeps ausus est tamen animi sui magnitudinem ac spes suas in penitissimos Orientis ac Palestina fines proferre, ac protulit pertulitq; ipsâ per infinita terrarum spatia ducto voluntario ducentorum amplius millium bel-latorum exercitu, ac tandem Hierosolymitana & urbe & regno potitus, gloriosissime tibi præiit imitationis exemplum, ut eo minus extra hujusmodi cogitationes sis, quo major es, sed ad parva, ac sublimiora aspire. Nec tamen ad id gloriæ fastigium ut pervenias, necesse tibi te domo commovere, sed quod velis, quod tibi in voto sit, efficaciter velle, nam si constanter quidquid id sit, hoc præsertim, quò te ipse Deus concitat, velis, poteris quoque, modo tibi ipsi posse videaris.

Jam primum Germania ordines omnes, ad quorum latus sedit belli periculo-sissimi incendium, tuam implorant opem, te adiutorem, protectorem, auxiliatorem suum respiciunt, tibi se, salutemq; patriæ commendant, major ex illis pars peculiaritè tecum sociata federe, ut ex fide quoque tuâ sit eis opitulari: ceteri, atque illi præcipuè qui Augustana Confessionis nomine censentur insignibus, vel me teste, beneficiis à te affecti (quæ reticeo, ne exprobrare videar) à te, tuâq; autoritate nunquam dissentient, sed tuis suffulti subsidiis, tuo animati ductu & exemplo armabunt, quidquid quisque habet virium, & egregium brevi militem sacramento adactum producent. Tum autem Caesar ipse consobrinus tuus, tam arcto sanguinis nexu junctus tibi, quid à te non jure merito expectet, in tanto suo, & totius Reip. Christianæ adeo nunc valido ictu percussæ discrimine, quam tu per omnium facultatum tuarum, quam per proprii, si res postulet, sanguinis effusionem eo pacto quo filius matri, civis patriæ, mortalis Deo obstringitur, tegere ac tueri obligatus es? Poterisne tu secundum Ungariam Turcarum faucibus immersam Austriam quoque ab iisdem omnibus barbaricæ, & inhumanae atrocitatis tormentis dilaniatam siccis oculis, immoto ad commiserandum pectore, nullo subveniendi æstu, ac fervore, nullo ad innoxiorum tot populorum cogitatu etiam fœdas calamitates doloris sensu intueri, immemor tui ipsius, immemor Austriaci sanguinis, quo dimidio à matre permanente & ipse vivis, & quo itidem dimidio, qui ex te vivent, victuri sunt.

Venit nunc in mentem mihi quadringenties mille Ludoviceorum illud nummum à Cardinali Mazzarini in Turcici usum belli supremis Casari tabulis legatum, sum ille sub propinqua jam mortis disciplina doctus esset, & docere possit alios, si quæ audiant, quæ maxime laudata, & rite impense sint opum Ecclesiasticarum erogationes. Hanc tu pecuniam cur demi custoditam teneas, cur non emittas, quò ire jussa est,

est, quo ipsamet tendere gestit, cur hoc novissima voluntatis suae fructu defunctum hominem, qui omnibus in te vivens moriensque officiis defunctus est, fraudes, nescio quem ad te excusandum Tui si eos consulas, Theologi, tuae conscientiae arbitri, & rectores colorem dicere, aut quid obtendere queant. Mearum sane in Religione partium Theologos si interrogas, negabunt legatam Caesari pecuniam in tam acceptum Deo usum, in tanta necessitate sine gravi à te piaculo retineri posse, imo moram quoque, quod tardius solveris, condigno favore redimendam, ac supplendam.

Eja ergo, quid cunctaris, quid deliberas, quid in tui te oblivionem immergis? Res Christiana tota in te suspensa haeret vultu, tuum nutum, tua operitur auspicia. En paratus tibi lectissimus miles, ex quo quid erit negotii sex non amplius peditem, duo equitum millia segregare, & in tam gloriosi incapti expeditionem praemittere, donec si opus fuerit, tota Regni mole subsequere? Par rebus gerendis praesentis pecuniae vis in manu tibi, plura inexhausta tributis Gallia pollicentur, & hic belli nervus, haec rerum anima, hic omnium actionum spiritus est, huic omnia obediunt, obsequuntur, & ejus subsidio sustentata sese factu facillima reddunt. Germanus, Suecus, Danus, Polonus, Anglus, Batavus, & quidquid usquam Christiana nota est, Italus ac Hispanus ipse non concedent tibi, & quivis eorum approperebit, si inter primos esse nequeat, saltem ne postremus sit. Quid autem Gallica nobilitas? quò se animorum ardore tua post jussa incitabit ad hoc bellum tam gloriosum tam necessarium nomini Christiano propinquo ab interitu vindicando? Crede mihi, crede orbis universi fama, & voci: horrent Turcae vel solum Gallorum nomen. Nam oraculo eis proditum, & ipsi pronam fide credunt, Gallorum virtute & armis Imperii Ottomannici statum eversum iri, magnisque pene quotidie lamentis, cum in templorum suorum adytis Machometo suo supplices id solum, ut in longinquum fata ipsis imminetia proroget, nam ut omnino effugiant, nulla ipsis fiducia, aut spes, impetrare contendunt, contestatum nobis & certum reddunt, at magno emant, ne ad nos emanaverit. Hoc tu oraculum verum maturumque, & eventu ipso comprobatum facito Ludovice, in hac te fata natum esse praesumito. Multis antiquitus expeditionibus inclaruerunt per Orientem Gallorum arma, ac proinde quisquis ibi Christianus audit, Gallus seu Francus nominatur; insigni documento, quanti populis illis Galli fiant, quorum nomine totius Christiani orbis universitatem insigniunt.

Potuit Gottifredus Bullioneus Solyma, potuit Balduinus Flander Byzantium expugnare, quot à parte opum tecum comparandi? Ne desis exemplo, qui vicibus immensum super es, aude & te dignum ostendere, qui posteritati inter exempla sis.

Ea es aetate, quae M. Alexandrum ingentibus belli facinoribus vel maxime exercitum, intentumque habuit. At ille orbis predator, tu vindex eris, ille sibi, tu Christo vinctus, terris ille omnibus, tu secundum terras Caelo potiri contendis, non unus illi orbis, nec tibi sufficiet ad superos, sed tum demum, ut vovemus, transgressuro, cum ille totus à te domitus doctusque, Christum adorabit, ne mortalitatem tuam prius expleas, quam immortalibus mortalia omnia beneficiis affeceris, tum cum inter Christianos latum erit Turciam in Turciam querere excisis Machometismi vestigiis, Christianorumque in oriente servitute commutata in imperium, ut iisdem ergastulis constrictos

Turcas includant, quibus nunc ab his sub intolerabilibus humane patientie tormentis ac suppliciis continentur.

Horum calamitosorum voces te audire, horum lurida & deformia ora intueri te O Rex finge, illosq; vel solos Gallos tuos cogita, quorum infinitus numerus vel in Africa penes pyratas, vel alibi apud Turcas non servit (humanum hoc) sed bestiarum in morem habetur, afflicatur, & premitur. Horum à te passis manibus opem, dulceq; libertatis nomen in clamantium quin te miserescat, quin eis opitulatum eas, scio te vite quoque tue usura tibi interdicturum, tanta in te pietas, tantus in tuos amor, tanta erga illos caritas, ut hujus potissimum virtutis in te ad Christi exemplum exprimenda incenso ardore & studio dignum te Christianissimi Regis nuncupatione ac nomine ostendas.

FINIS.

Kg 2154

ULB Halle

002 613 727





3

56

VDT7







Farbkarte #13

B.I.G.



M.
18.

CI TURRII,
nitis de Tourenne,
AD REGEM
ANISSIMUM.
arcico Oratio habi-
urfalii 31. August.
1663.

